

VII

dem in re studium H V N T E R I^e) itemque A L B I N I^d) summis vtique laudibus praedicandum est, quippe qui omnes fere doctorum virorum sententias, de eruptione dentium in lucem prolatas, non tantum diligenter collegerunt, atque gnauiter inter se compararunt, sed etiam singularum argumentis rite ponderatis, et dubitationibus accurate excussis, veritatem sententiae Vesalianae demonstratum iuerunt, et obseruationibus fide dignissimis ostenderunt, nouos dentes pone priores latere, qui successu temporis euoluantur, in dies crescant et fermentur.

Ad repudiandam C E L S I sententiam vel hoc iam commouere vnumquemque huius rei aestimatorem idoneum posse videtur, quod dentes primarii vel prorsus radice destituti, vel tantum radicis parte praediti deprehenduntur, quam nouus deinde succrescens, se ad eam apprimendo conficit. Sic porro notum est, quosdam dentes, viginti scilicet tantum, incisores octo, caninos quatuor, et maxillares totidem mutari, quanquam auctores inueniuntur, qui sedecim dentes has mutationes sustinere contendant.

Differunt a prioribus dentibus ii, qui succedunt, vti satis superque notum est, idque discriminem non modo radicem, verum etiam crassitatem et magnitudinem attingit. Horum eruptio saepenumero, quin multo saepius quam primiorum, variis morbis occasionem cauissamque suppeditare solet, qui partim ob symptomata, partim propter sequelas atque effecta inter grauissimos ac molestissimos videntur referendi. Experientia enim quotidiana docet, multos infantes talibus morbis ita affligi, vt vel plane iis consumti pereant, vel saltem aegerrime con-

vale.

c) Vid. Eius *Histor. dentium.*

d) In annotat. Academ. Libr. II. cap. 1. 2. 3.